

Petrus de Vinea

*Ep. V 118 (Vestrorum corda,
uelut Imperii fidelium...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 118 (Vestrorum corda,
uelut Imperii fidelium...)*

luglio 1247

Idem super eisdem, et hortatio, ut se parent.

1. Vestrorum corda, uelut Imperii fidelium deuotorum, de prosperis nouis contingentibus recreari uolentes, de sinistro ciuitatis Parmensis, quod nuper accidit, eorum malitia insurgente, ut una nobiscum proinde recreati ad exaltationem serenissimi patris nostri et ad Parmensium ipsorum malitiam refrenandam, qui uiam rectam uerae fidelitatis obliti in sinistram partem eorum prauos animos conuerterunt, assumptis uiribus nostris et aliorum Imperii fidelium iurisdictionis nostrae, in manu forti contra eos uiriliter intendamus, uestra cognoscat sincera deuotio et commendanda fidelitas, nos a magnifico H., illustri rege Sardiniae, recepisce litteras in hac forma:

2. Nobili uiro F. de Antiochia, H., Dei gratia rex Turrium et Galluri, eccetera. 3. Volentes igitur predicta omnia cum celeritate, qua congruit, exequi, prout decet, uos pro parte serenissimi patris nostri requirimus et ex parte nostra hortamur attentius, quatenus statim, receptis presentibus, more solito fideliter ac deuote circa imperialia obsequia animorum uestrorum curam uigilem adhibentes, equis et armis apparatus laudabilem faciatis, quem tam grande negotium exposcit ad presens. Ita quod ad aliam requisitionem nostram tam fideliter quam laudabiliter una nobiscum, si opus fuerit, pro predictis, ut conuenit, ueniat.